PRO-RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS JOANNES BAC-MEISTERUS, D.

Med. ac Sup: Mathem:
Profeſſor Publ.

Ad
Solemnia Feſtivitatis

SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS

Hodiè
Devoto Corde celebranda,
& decenter peragenda
Cives literatos
Omnes & ſingulos
Seriò hortatur & monet,

****

ROSTOCHI,
TYPIS VIDUÆ B. FRIDERICI KEILENBERGI, UNIVERS. TYPOGR.

VNiverſam Theologiam Dei, Angelorum & Hominum notitia abſolvi, non immeritò Veteres nonnulli dixere. Qvamvis enim Theologiæ noſtræ principium & objectū primarium Deus unus in Eſſentia & ttinus in Perſonis ſit, isq; expreſſam ſui cognitionem in verbo ſuo ceu unica & totali credendorum regulâ qvâ Nomina, Attributa & Opera divina, Hominibus adeò luculenter revelaverit, ut nullus amplius dubitationi locus ſit relictus. Cum tamen ex Creaturarum præſtantia præſertim rationalium tùm ſimplicium, inviſibilium & ſpiritualium, qvæ Angelorum nomine veniunt, tùm compoſitarum & ad imaginem Dei conditarum, qvæ Homines dicuntur, æſtimare qvodammodo liceat Creatoris eminentiam & ſublimitatem ſummam; neceſſarium omnino eſt, ut poſt ſupremi illius rerum Conditoris notitiam etiam ad ipſas Creaturas deſcendamus. Inter qvas meritò principem locum obtinent Spiritus illi finiti, completi, intelligendi & volendi facultate præditi, â Deo primitus optimi & ſancti creati, ut Creatorem ſuum celebrent, & mandata ejus Homines præſertim concernentia, promptè expediant. Qvorum memoriam cum hoc ipſo die Feſto anniverſario renovare ſuſcepta & ſolemnis religio inſtituerit: Nos qvoqve, *Cives Academici*, hanc ipſam, qvi literarum & ſapientiæ ſtudia tractamus, libenter repetimus, vel ideò maximè, qvod noſtro ordini *puras illas mentes* præ cæteris impensè ſemper favere multis argumentis novimus; non autem, ut eos ſuperſtitiosè adoremus, & eodem, qvem Deo debemus, cultu veneremur; hoc enim idololatriam præ ſe fert, & S. Scripturæ non convenit, qvâ teſte Ange-

lus

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58709(29)

lus nolebat adorari à Joanne, ſed eum venerandi gratia pro-cumbentem juſſit abſtinere & DEUM venerari *Apocal. c. 19. v. 10.* Prout itaqve omnia Feſta ſolemniora, qvæ qvotannis celebrantur, honori Redemptoris & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI ſerviunt; ita etiam & hoc Divo MICHAELI Archangelo, ſummo militiæ Cœleſtis Monarchæ, Angelo fœderis magno, contra Satanã, Mortem & Gehennam victori, Triumphatori pio, inclyto & felici dicatum. Princeps qvippe ille & Imperator omnium, qvi qvotidiè ſummi Jehovæ Legati toto terrarum orbe veluti familiares mortalium adminiſtri & apparitores aſſidui hominibus piis adſiſtunt. Ipſe eſt Charater inviſibilis DEI, primogenitus omnis Creaturæ: nam per eum omnia qvæ in Cœlis ſunt & qvæ in Terra Viſibilia & inviſibilia, ſive *Throni*, ſive *Dominia*, ſive *Principatus*, ſive *Poteſtates*, omnia per eum & ejus reſpectu condita ſunt, eſt ipſe ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt. De hujus MICHAELIS Archangeli dominatu planè admirabili ſacris conſignatum literis legimus, cum ab Autore & Fundatore tam viſibilium qvam inviſibilium, præ nimiâ animi arrogantiâ majeſtatem & dominationem ſummam affectans, defeciſſet ille, qvi ab eximiâ pulchritudine, *Luciferi* nomen acceperat, qvod tum ſuos Michael in officio continuerit, & collatis ſignis, adverſus deſertorem ita pugnarit, ut eum îlicò cum ſuo exercitu ex Cœlo depulerit, & in tenebricoſa illa Inferorum gurguſtia detruſerit, è qvibus non habet neqve habiturus eſt unqvam emergendi poteſtatem. Pallas à Græcis mirifice laudatur, qvod armis pro Jove ſumptis in illo Gigantum prælio, ita eos in fugam profligarit univerſos, ut cœteris Diis, ac ne Jovi qvidem ipſi, ullam belli partem reſervaſſe videretur. Mentiantur illi, ut volunt, qvibus ad dicendum rerum verarum argumenta non ſuppetunt: nos exploratiſſimum habemus de Michaële noſtro, ipſius opera & ope fractos, victos & in vincula

datos ac relegatos fuiſſe tantos hoſtes, qvibuscum nulli Titanes, aut terræ Filii de audaciâ, ſuperbiâ & temeritate poſſunt contendere. Ejecti etenim ſunt, & in ipſa mortis ergaſtula inclusi, qvi potentiſſimi DEI thronum invadere, ſeq; inibi collocare ſatagebant. In qvo conflictu vel hoc maximè admirandum, qvod, licet ita contriti & confuſi ſint hoſtes, nihilo ſecius tamen ſubindè idem bellum deinceps ſemper Sancto Michaeli renovandum gerendumqve ſit, cum iis ipſis, qvos ſemel ſatis ſuperq; debellaſſe videbatur. Neqve etiam hic famoſus ex Tartaro gladiator Spartacus, aut fugitivi hoſtes animos deſponderunt, verùm hydram iſtam imitati, qvæ amputato uno capite valentior exſurgere in fabulis dicebatur, homines aggreſſi ſunt, & illam provinciam improbo conatu vaſtare cœperunt, qvam videbant Michaelis curæ ac vigilantiæ demandatam. Hic vero Chriſtianæ Reipublicæ propugnator acerrimus nunqvam noſtri defenſionem intermittit, ſed potente manu turbas & procellas adverſus pios & DEO fideles, malorum Dæmonum inſtinctu identidem excitatas hactenus compeſcuit, & adhuc compeſcet. Hujus gladio & viribus occubuit Nero, Domitianus, Valerianus & triga illa Tyrannorum Maxentius, Licinius, Maximinus, qvos bello vicit & vita ſpoliavit, ſolius DEI auxilio, adminiſtro Divo Michaele Conſtantinus Imperator, cui debemus hanc ipſam, qvâ etiamnum hodiè Dei benignitate mediocriter floremus, Eccleſiæ felicitatem. Nihil dicam de aliis Chriſtianæ Reipubl. hoſtibus, qvos numero multos non tàm armatorum copiæ qvam Imperator noſter Michael contrucidavit, fugavit, vel & horribili vitam ſuam exitû claudere coëgit. Innumera qvidem ſunt erga genus humanum DEI beneficia. *Non enim neceſſitatibus*, ſecundum Senecam, *tantummodo noſtris proviſum eſt: usqve in delicias amamur* &c. Et mox, *Unde nobis*, inqvit, *iſtũ qvem trahimus ſpiritum? Unde iſtã, per*

qvam

qvam actus vitæ noſtræ diſponimus atq; ordinamus, lucem? Unde ſanguinem cujus curſu vitalis continetur calor? Unde iſta palatum noſtrum ſaporibus exqviſitis ultra ſacietatem laceſſentia? Unde iſta qvies, in qvâ putreſcimus ac marceſſimus. Nonne, ſi grati erimus, dicemus - Deus nobis hæc otia fecit. Ille Deus eſt, non qvi paucas boves, ſed qvi per totum Orbem armenta dimiſit, qvi gregibus ubiq; paſſim vagantibus pabulum præſtat, qvi paſcua hibernis æſtiva ſubſtituit; qvi non calamo tantum cantare, & agreſte atq; inconditum carmen ad aliqvam tantum oblectationem modulari docuit, ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo, cantus edituros, commentus eſt. Neqve enim noſtra iſta, qvæ invenimus dixerimus: non magis qvàm qvod ad conſtitutum temporum ſua corpori officia reſpondent &c. Inter hæc autem haud poſtremum illud locum occupat, qvod corpori pariter & animæ noſtræ Cuſtodes dedit, qvorum excubiis contra medias aſtutiſſimi Dæmonis, Draconis illius magni, Serpentis antiqviſſimi, & generis humani hoſtis infenſiſſimi inſidias, contra formidoloſos turbulentiſſimi Mundi fluctus, contra objectos undiqve adverſitatum humanorum ſcopulos tutis nobis eſſe licet. Absq; Angelorũ ope & opera foret, profectò

Multa irent ſurſum, qvæ fas erat ire deorſum:
Atqve deorſum eadem debentia tendere ſurſum. Cauſam vultis?
Nec reqvieſcit enim Stygii ferus arbiter orci,
Præcipuè dum ſumma videt ſibi fata parari,
Totaq; Naturæ meditari mœnia lapſum.

In hac Mundi ſenectâ nobis certè non ſternuntur roſis ac liliis viæ. Ubiq, naufragium, ubiq; periculum eſt; terra mari, domi, foris. κακῶν ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ τοσοῦτον ὥστε μὴ πότ' ἐκνεῦσαι πάλιν. Qvæ gens qvæ regio tulit - *Tam multa dictu gravia, perpeſſu aſpera*, qvam hodiè nos Germani, ex qvo bonum publicum ſimulantes pro ſuá qvisq; potentia certat? Haut in preſentia collibitum eſt in iſtud calamitatum bellicarum mare deſcendere, qvod paucis

annis antè, qvaſi communis proluvies, aut magna aqvæ vis univerſam non ſolum Germaniam, ſed & Regna, Provinciasq; proximè adjacentes ſimul cum noſtrâ hâc Megapoli involvit & ſubmerſit. Qvas non clades & calamitates peperit, & adhuc, proh dolor! ſub ipſo Pacis titulo eheu! parit? Pudor Chriſtiani Orbis.

Stat cruor in Templis, multâq; rubentia cæde
Lubrica ſaxa madent, nulli ſua profuit ætas.

Neqve - - - - - - - - - - - *ullus aratro*
Dignus honos, ſqvallent abductis arva colonis.

Usqve adeò, *Scelera, dempto fine, per cunctas domus*
Jêre, nullum caruit exemplo nefas. Ex acèrbis illis caſibus, qvos homines non ſolum, ſed etiam agri & rura, urbiumqve & pagorum tecta luxerunt, & adhuc dum lugent, nos hactenus mediocriter evaſimus.

Unde hoc? Angelicè dux agminis ille MICHAEL
Noſtra coronavit Murorum mœnia fido
Militiæ populo - - - - Cæterum neqve cum Peſtilentiâ omnium fœdiſſima lue, qvæ, proh dolor! multas non ſolùm ſuperioris Germaniæ ſed & non adeò longè â noſtris finibus diſſitas Urbes occupavit, & aliqvot millia hominum internecioni dedit, qvâq; Deus ſemper fœdam mortaliũ luxuriam caſtigare ſolet: neq; cum Fame Feriis illis eſurialibus, hacten9 colluctati ſumus; *Sed tanti qvæ cauſa boni? meruitne bonorũ*
Vis operum pollens & vitæ puriter actæ?
O utinam! ſed enim potuit ſolùm omnia nobis.
Illud inexhauſtum CHRISTI MISERERE mereri.

Is Angelis ſuis mandavit de nobis, uti cuſtodirent nos. Averſi ſumus â bona mente, imò illâ, qva fruimur, indigni luce ac ſpiritu, ſi tantum meritum aut noſtræ prudentiæ, aut humanis opibus adſcribimus. Omnes namq; peccavimus & qvidem graviter, nec in hunc usq; diem peccandi licentiam, luxum, avaritiam, immiſericordiam, omniaq; illa, qvæ nos projiciunt â facie DEI & condemnant, deteſtamur, immemores planè illius Incendii, qvod optimam Urbis noſtræ partem non ita pridèm conſumpſit. Cogitate hosce ignes? Domos noſtras, qvæ in rudera per has ipſas flammas deſiere, non videte tantum, ſed meditamini, & qvare Dominos ſuos illæ exſpuerint, hoc meditamini? Cogitate direptiones, tormenta, cædes, qvibus

bus adhuc excruciantur tot Provinciæ, tot Civitates, tot Pagi. Qvid æqvè nos aut tenet ſub regno Satanæ, aut torqvet; præterqvam, qvod ad delicta noſtra audienda tam immites, ad evitanda tam duri, ad acuenda tam protervi ſumus? Negate, qvi audetis, & conſcientiam ut frontem perfricate; tamen coram DEO, cui impietas aliqva tegere ſe nihil poteſt, omnes nos eſſe mementote. Qvid enim honeſta culpæ vocabula fingimus, & ab ulcere noſtro prohibemus ferrum. Certe niſi DEUS per Angelos apparitores ſuos perpetuos prohibuiſſet, nos etiam jam pridem & merito,

Annonæ pariter Belliqve Luisq; flagellum conſumſiſſet planeqve de nobis conclamatum fuiſſet. Et qvis ſingula percenſere poſſit pericula, è qvibus excubante pro nobis Angelorum caterva incolumes ac ſæpe præter opinionem evaſimus? Cum in lucem nondum editi intra materni uteri anguſtias latitaremus, pro nobis in excubiis ſtetit Angelus, ne fortè Diabolus ad omnia exitii genera ingenioſiſſimus, vitam in ipſo limine raperet. Ne lavacrum illud παλιγγενεσίας à perditiſſimo illo nebulone nobis præriperetur, Angelus in excubiis ſtetit. Ne in qvævis ſcelerum avia abripiamur, in excubiis pro nobis ſtat Angelus. Gaudent enim Cœleſtes illæ & beatæ Mentes inſervire illis in terris, qvos aliqvando ſocios habebunt in cœlis, & tum maximè ſollicitæ ſunt de Cœlorum Candidatis, cum in anguſtiis verſantur. Hæc ſolemni hoc tempore ſancto ſcilicet Michaelis Archangeli Feſto gratâ agnoſcamus mente, & ſummâ animi devotione ruminemur oportet; Deumqve veneremur, ut porro qvoqve cœleſtium ſpirituum præſidio adeſſe nobis non gravetur. Cæterum tanti voti compotes ut reddamur, Angelorumqve jugi conſociatione gaudeamus, non mediocris cura adhibenda eſt & diligentia. Neqve enim qvibusvis aggregantur promiſcuè, aut in qvorumlibet ſeſe conſvetudinem inſinuant: ſed eorum tantum, qvi cum moribus ipſorum & natura maximè congruunt, & in qvibus qvaſi lumen aliqvod probitatis & virtutum proſpiciunt. Annon

Mellificas vidiſtis apes caligene fumi
Cerea vernantis migrare cubilia nidi?
Vidiſtis? Ratione pari fugit Hoſpitis ædem
ANGELUS excubitor, qvam vitæ crimina fœdant.

Egregiè ſapientiæ Romanæ ſol Seneca in aurea Epiſtola ſuum Lucilium hortatur, ut Viri gravis præſentiam aſſiduo cogitatu ſibi proponat, cum *Accipe*, inqvit, *& qvidem utilem & ſalutarem clauſulam, qvam te affigere animo volo. Aliqvis Vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos haben-*

bendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſit. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus autoritate etiam ſecretum ſuū ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantum ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad memoriam quoq; ejus ſe componat, atq; ordinet. Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus, ſive jam Cato ille ſit, ſive Scipio, ſive Lælius perindè. Elige ſaltem eum, cujus tibi placuit & vita & oratio. Opus eſt aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges. hæc ille. Haud repudiamus ſapientis conſilium, ſed illorum, quos proponit, non multum moramur præſentiam. Acriores ſanè Coryphæi vobis, *Cives Academici*, adſunt, ut neqve noctis vos obſcurare tenebræ, nec ulla domus aut parietes vos abſcondere, aut clàm habere poterint. Hi graviſſimi morum ſunt cenſores, qvi nihil vobis adulabuntur, nihil excuſabunt, aut colorabunt. Audite Epictetum l. 1. Diſſert. 14. de hiſce cuſtodibus ita diſſerentem. *O homines* inqvit, *ſcitote diligenti & præſtanti cuidam Cuſtodi unumqvemq; noſtrum eſſe commiſſos. Cum igitur fores adduxeritis, & tenebras intus feceritis, mementote nunqvam dicere, qvod ſoli eſtis. Non enim eſtis, non; Sed Deus intus eſt, & veſter Genius intus eſt. Et qvid lumine iſtis opus eſt, ut facta veſtra omnia videant? nihil.* Imo Plato autumat, non ſolum tunc adeſſe, nemini conſpicuos, omnium non modo actorum verum etiam cogitatorum teſtes: ſed & ubi vitâ editâ remeandum eſt, eundem illum, qvi nobis præbitus fuit, raptare ilicò & trahere velut cuſtodiam ſuam ad judicium, atq; illic in cauſa dicenda adſiſtere: ſi qva commentiantur, redarguere, ſi qva vera dicat, aſſeverare, prorſus illius teſtimonio ferri ſententiam, referente ex eodem *Magno Lipſio Phyſilog. Stoicor: lib. 1. diſſert. 19.* Horum igitur præſentiam ſuſpicientes omnem impoſterum abdicate petulantiam, dictorum factorumqve laſciviam abjicite, cunctasqve ejusmodi ſordes eluite, & ſeriò absq; mora pœnitentiam agite, aut Cœlum amiſiſtis. Reſipiſcendo Angelis gaudium creabitis; *Nam lacrymæ pœnitentium, ait Bernhardus, ſunt Vinum Angelorum:* Plura adderem, niſi pagellarum anguſtia obſtaret, nec Sapiens uno Oraculo pronunciaſſe omnia videretur. *Memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis. Brevi aderit, qvi te ducet ad plures.* Ne & Feſtum hunc diem Conſervis ac fratribus veſtris ſacrum nefariè atq; impiè perdatis eſt, qvod officii ratione vos monemus. P.P. ſub Sigillo Univerſitatis, Roſtochii, die Michaëli Archangelo ſacrato Anni Juliani CIↃ IↃC LXXXII.